



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 6. Differentia Confessarij à Judice, Medico, & Superiore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

peccat. At verò quando adsunt omnia essentialia, tunc absolvit validè; & quoad ea, quæ pœnitens probabiliter censet sibi esse licita, ipse vel nihil agit, sed tantùm permittit; vel certè, cùm tantùm in relicta ei cooperetur, nihil peccat.

## §. VI.

*Differentia Confessarii à Judice, Medico, & Superiore.*

134. Neque obstat, quòd Confessarius sit Judex & Medicus pœnitentis, ejusque superior; Judex autem & Medicus teneatur procedere juxta probabiliorè; & superior non subditi, sed subditi superioris debeat sententiam sequi. Nam quidquid Laym. l.c. dicat quoad Superiorem, & Dicastillo contra Lugonem moveat quoad Judicem, disparitas quoad hæc officia in foro interno & externo consistit in hoc, quòd sicut Sacramentum Pœnitentiæ est à Christo institutum in bonum & commodum solius pœnitentis; ita etiam Confessarius debeat suum in foro interno officium Judicis, Medici, & Superioris exercere in ejus solius bonum & commodum; ergo non potest illum aliter judicare, curare, aut gubernare, quàm juxta sententiam ab ipso in proprium commodum electam, quamdiu ea est verè, & practicè probabilis, Hinc etiam Medicus, cùm solius infirmi bonum spectare debeat, teneatur ideo tantùm medicinam probabiliorè adhibere, quia videtur infirmo esse commodior; & si iste mallet minùs probabilem, tanquam sibi magis gratam, posset & deberet Medicus istam, & non illam præbere. Sic quoque Judex, quia in

causa criminali debet quoad sententiam favere reo, potest & debet eum absolvere saltem ab instantia, quamdiu verè probabile est, eum esse innocentem. In causis autem civilibus, quia Judex debet tam ad unius ex colligantibus, quàm ad alterius bonum, & jus attendere; ideo potest & debet judicare secundùm probabiliorè pro uno contra alterum cum damno alterius; & quia Superior in sua gubernatione præcipuè bonum communi spectare debet, idque etiam subditi tenentur privato suo commodo præponere; ideo ille non istorum, sed isti debent illius sententiam non tantùm probabiliorè, sed etiam minùs probabilem sequi, atque juxta illam obedire.

## ARTICULUS III.

*De Obligatione Confessarii pœnitentem sanandæ.*

135. Sicut lavari citò possumus, ad sanandum autem curatione multa opus habemus, teste S. Bern. *serm. de Cena Domini.* ita facile est, pœnitentem à peccatis absolvere, sed eundem ab animi morbis, qui peccatorum causæ, radices, & fontes sunt, perfanare, hoc opus & labor est; omnino tamen à quovis Confessario cum summa cura suscipiendus. Alioquin enim absolvendo lavabit quidem pœnitentem, sed quasi laterem crudum; quem quanto magis laverit, tanto magis lutum facit. *can. Ille. 9. Dist. 3. de pœnit.* Lavatur nempe, sed non mundatur, qui (in Confessione) plangit, quæ gessit; non multò tamen post eadem, quæ fleverat, repetit. *can. Irrisor. 11. ead.* vel certè inaniter mundatur, quem Confessarius non  
aliter